



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetae Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs CXLVII. Laudate Dominum, quoniam &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Felicem, quicumq; sui spes collocat omnes  
Auxilii in Domino.  
Cuius dextra potens terram, mare, sydera fecit,  
Est fideiq; tenax.  
Vindicat iniuste qui pressos: pallido egentum,  
Pellit & ore famem.  
Liberat & captos duro de carcere, cæcis  
Lumina restituens.  
Subleuat & lapsos, & humi erigit ipse iacentes,  
Diligit ipse pios.  
Solatur viduas, peregrinos seruat & orbos,  
Destruit & reprobos.  
Perpetuò Dominus regnabit in arce Sionis,  
Et Deus vnus erit.*

PSALMVS CXLVII.

Laudate Dominum, quoniam &c.

*C*oncine, sacra cohors, Dño, pia gaudia, iusto,  
Nam quid laude Dei iustius esse potest?  
Quot benefacta vides, Domino tot iubila funde,  
Pulcrius hoc nihil est, dulcius atq; nihil.

*Qui*

Qui nūc instaurans Solymas pulcras extruit ur-  
Qui profugos populi colligit ipse sui. (bem,  
Pectora qui recreat, qua cura dolorq; fatigat,  
Quiq; sua sanat vulnera cordis ope.  
Singula qui numerans excelsi sydera cæli,  
Nominibus propriis illa vocare potens.  
Noster hic est Dominus præclaro robore cinctus,  
Rex sapiens, nutu cuncta creata tenens.  
Subleuat oppressos, mansuetos euehit idem,  
Opprimit & trudit tartara ad ima malos.  
Alternis vicibus, præconia dicite grata,  
In citharis Domino suauè sonate melos.  
Qui cælo inducit nubes, demittat ut imbres,  
Qui pluuiis spargit gramen, & arua rigat.  
Quotidie pecori qui pabula larga ministrat,  
Qui coruum implumem vestit, alitq; cibo.  
Non hunc acris equi delectat robur in armis,  
Grata nec huic virtus militis esse solet.  
His fauet hosq; probat Dominus, quicumq; timētes  
Ipsum non dubia speq; fideq; colunt.  
Vrbs Solyma, haud cesses nona cantica ferre leho-  
Concinat assidua laude Deumq; Sion. (ua,

O o 2 Quan-

Quando tuas portas fidus communit & arcem,  
Quando auget variis teq; tuosq; bonis.  
Pace tuos fines quando & tua mœnia munit,  
Et tritici optata te bene messe beat.  
Quando suum eloquiũ terras ita mittit in omnes,  
Ut properent celeri haud irrita iussa gradu.  
Quãdo niuem spargit super agros, velleris instar,  
Cum facit, ut cineris more pruina cadat.  
Cum venas glacie astringens connectit aquarum,  
Nemo gelu queat hoc ut tolerare diu.  
Cumq; suo nutu glaciem mollescere cogit,  
Flante alio vento, vult & ut vnda fluat.  
Sunt opera hæc Domini, sua qui promissa Jacobo,  
Quiq; Israël, sacra statuta docet.  
Non ulli populo talem se ostendit amicum,  
Nec notas leges gentibus esse finit.

PSALMVS CXLVIII.

Laudate Dominum de cœlis, &c.

**C**Oeli & cœlicola Domino noua munera laudũ  
Ferte, sacros hymnos, præconia debita, dulcis  
Car-